

16305

16305

DE DIAGNOSI HYDRO-
MÈTRAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,

QUAM

VENIA ATQUE AUGTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE



RITE ADIPISCATUR

SCRIPSIT ATQUE PUBLICE DEFENDET

ALBERTUS JULIUS WITTE,
CURONUS.

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,
MDCCCXXXII.

I m p r i m a t u r
haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excu-
sa fuerit, septem exemplaria collegio cui librorum ex-
ploratio commissa est tradantur.

Dorpati die xxix. Maji mdcclxxxii.

Dr. Sahmen.
h. t. Decanus.

**JOANNI FRIDERICO WITTE,
PATRI CARISSIMO ATQUE DILECTIS-
SIMO,**

**JOANNI HENRICO CRAMER,
AVO MAXIME VENERABILI,**

**JOANNI GEORGIO CRAMER,
AVUNCULO AMATISSIMO.**

D 176 06.

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA

ANIMO REVERENTE GRATOQUE

D. D. D.

AUCTOR.

De diagnosi hydrometrae.

Prooemium.

Hydrometram intelligimus liquorem in uteri cavum praeter naturam congestum, serosum, lymphaticum, vel pituitosum, cui tum ex partibus vicinis mechanice affictis, tum ex consensu, quo uterus aliis conjunctus est organis, accedunt symptomata, quae morbum istum constituunt. Sanguinis vel puris accumulatio in cavo uteri ad hydrometram non referenda est. Ubi autem aqua sanguine vel pure mixta apparet, aliud una cum hydrometra adesse vitium declaratur.

Plurimi scriptores hydrometrae genera definiunt, prout aqua aut in cavo uteri libera est, a parietibus ejus circumdata (h. ascitica), aut in substantiam uteri cellulosa effusa (h. oedematosa), aut peculiaribus vesiculis membranosis inclusa (h. vesicularis, cystica, hydaticea). Porro, quod tempus, quo existit, attinet, hydrometra distinguenda est: 1) in hydrometram gravidarum, atque 2) in hydrometram non gravidarum.

In cavo uteri, vasis sanguiferis et lymphaticis abundantis, eodem modo, quo in aliis corporis cavis, veluti capitis, thoracis et abdominis, liquor vaporem secerni potest, cujus formatio atque multitudo pro aetate atque uteri actione diversa est. Ante annos veneri aptos secretio haec minor est, ac serosa, copiosior iis annis, quibus pariendi esse consuevit facultas, copiosissima in graviditate, ubi actio uteri reproductiva summum attingit gradum. Quare morbus hic in conceptionis annis atque ultra eos observabitur saepissime, praecipue autem apud feminas, quae saepius pepererunt, creberrime tamen apud gravidas, ut I. P. Frankius (1) dicat: „Ultima haec species (h. gravidarum) tam frequens est, ut saepe vix nomine sit digna morbi.“ Tum apud feminas etiam, quae nondum pepererunt, inveniri, exempla nonnulla docent (2), attamen multo rarius, cum uterus ad extensionem minus sit aptus. Ante annos veneri maturos omnino adhuc non est observatus. Liquoris autem congestionem, ut in utero fiat, omnino haec duo praecedere debent: praecclusio uteri orificii atque secretionis naturalis incrementum vitiosum. Medici, qui haec simul evenire non posse statuunt, hydrometram esse omnino negant, ut Camperus (3), qui, quod medici hydrometram haberent, nihil aliud fuisse, nisi hydropem ovarii, atque ubi aqua ex genitalibus fluxerit, amnii hanc fuisse liquorem, contendit. Denmannus (4) iisdem ex causis non plane quidem esse hydrometram negat, attamen hydrometram asciticam, cum putet, hydrometram quam scriptores

vocarint asciticam, nihil aliud fuisse, nisi hydrometram hydaticam vel cysticam. Quae sententia paucis nititur observationibus, ab eo institutis, quibus, post aquam profusam, prodire vidit sacculum membranaceum, qui aere expletus formam uteri extensi habuit, quam esse hydatidem iudicavit. Quae paucae a Denmanno institutae observationes nequaquam mihi non esse hydrometram asciticam demonstrare videntur, quum esse eam multis exemplis medicorum scripta confirmant. Neque etiam de organismo praecepta prohibent, quominus, esse posse hydrometra, statuatur: nemo enim augei uteri secretionem, atque, quae altera est morbi causa, claudi posse orificium negabit. Posterius enim effici potest, modo orificii uteri re vera concreto (5), modo superiore vaginae parte connata et in cartilagine mutata (6), modo orificio uteri spasmis clauso, modo tumoribus (7), hydatidibus (8), membranis (9), et puita in cervice uteri cumulata. Raro autem, quum utraque morbi causa conjuncta incidat, effectum fuerit, ut uterus non gravidus raro omnino eo infestetur, ita ut J. P. Frankius, vir summus, a se visum eum vix semel esse dicat. Hoc loco non possum, quin mirer, quod Desormauxius (Desormeaux) (10) in commentatione de hydrometra, ubi loquitur de hydrometra gravidarum, degenerationis tantum ovuli hydropicae facit mentionem, quum tria cuncta hydrometrae genera, supra exposita, gravidas male habere possint, atque meo quidem iudicio hydrops ovuli nequaquam ad hydrometram referendus sit; nam ovuli organismus arcte co-

haeret quidem cum matris organismo, sed tamen separatus ab eo est suamque habet vitam, cujus valetudo propter intimum matris ac foetus consensum quamvis, si matrem urget affectio, turbetur, morbi tamen nequaquam in vitiis organismi matris numerari possunt. Idem J. P. Frankium nomine hydrometrae gravidarum intellexisse aquam in ovulo cumulatam, adseverat. Quod ut redarguamus, Frankii ipsius verba afferre liceat (11), nam: „aquas vero, inquit, hydrometram gravidarum sistentes, sive spurias, inter membranam foetum cingentem uterique superficiem internam colligi, ac antequam illae, diruptae, liquorem amnii effundant, aut sub nixu mulieris fortiori, aut vi dolorum ad partum, aliquando cum fragore expelli, sicut familiaris admodum, ita quoque notissima obstetricantibus res est.“ Item negat simul, esse hydrometram oedematosam: dicit enim, in casu unico adhuc observato, quem enarrat, Frankius, quoque ille per motus est, ut statueret hydrometram oedematosam, hydatides tantum formatas fuisse in uteri cavo et parietibus. At Frankius parietes uteri incrassatos constituisse dicit ex cellulis, quae partim liquore lymphatico, partim hydatidibus repletas fuerint; quum autem hydatides cum oedemate conjunctae reperiantur, nequaquam esse hydrometram oedematosam negare licet; nam alia quoque hydropis genera diversa simul existere constat.

Nunc ad propositum transibimus, ac dicemus primo de symptomatibus hydrometrae non gravidarum, et quomodo hic morbus ab aliis

vitiis ei similibus dignoscatur. Deinde exponemus de symptomatibus hydrometrae gravidarum, ac de signis, quibus morbus ille ab aliis ei similibus distinguitur.

I. Symptomata hydropis uteri non gravidi.

Signa hujus generis hydropis constitui putanda sunt tum loco organorum et partium vicinarum mutato, tum consensu, qui utero cum aliis systematibus vel organis intercedit.

Symptoma omnium primum in oculos cadens est abdominis tumor, qui ad globi instar super pubis ossibus incipit, et, perpetuo auge-scens, magnam abdominis partem occupat, attamen uteri formam plerumque cognoscere sinit, et corpore supino, inguinibus jam non extensis, non concidit. Elasticus est, atque fluctuans, diversisque temporibus increscit atque decrescit. Plerumque ad regionem tantum hypogastricam porrigitur, interdum tamen super totum abdomen usque ad thoracem. Oedema pedum etiam accedit, quod, ut in graviditate, ex utero extenso, magna pelvis vasa premente, oriri putandum est; non raro genitalium quoque oedema supervenit. Uteri porro extensio aequalis est, neque corpuscula dura sentiuntur ulla, attamen, ubi hydrometra cum scirrhis vel aliis organorum vitiis est conjuncta, salebrae ejusmodi animadverti possunt. Saepe ab utroque uteri extensi latere prominentiae percipiuntur, haud dubie tubis fallopicis effectae.

Saepe etiam fluctuationes et in vagina et in abdomine explorando sentientur, attamen non semper, praecipue si aqua propriis cystis circumcluditur, vel hydatides adsunt. Si intus exploratur, vaginam invenimus laxam, pituita obductam, atque uterum altius in pelvim minorem ingressum, quam eodem graviditatis tempore. Vagina secundum Mauricovium (12) (Mauriceau) mollis est, spongiosa, orificium uteri rotundum, multo mollius et minus clausum quam in graviditate.

Mensium ratio in hoc morbo diversa est: modo enim per totum morbum absunt, modo nullum eorum vitium est, quod si accidit, sanguis ex vagina secerni, vel aqua sacculis si ve cystis inclusa esse putanda est.

Maturius vel serius, saepe etiam primo morbi mense, symptomata alia se adiungunt, veluti cibi fastidium, anxietas praecordialis, flatulencia molesta, borborygmi, flatus et excrementa tetrum odorem spirantia, obstructio et diarrhoea. Quae digestionis vitia ex uteri cum ventriculo consensu, atque ex utero extenso, viscera premente, facile explicare possumus.

Aegrotam porro pelvim premi et onerari sentit, quasi prolapsus esset uterus, atque praeterea in regione sacrali et lumbali patitur dolores.

Respiratio ab initio morbi non est affecta, serius autem, si abdominis extensio valde crevit, atque usque ad praecordia ascendit, dyspnoea interdum existit et metus suffocationis, tussi sicca conjunctus, praecipue si aquae profusionis incidit necessitas.

Urinae secretio diu haud est prava, copia autem serius valde imminuitur; urina fit turbida jumentosaque; interdum etiam exoritur ischuria, doloribus vehementibus conjuncta, praecipue si cumulatae aquae excretario fit necessaria, interdum retinetur tantum urina, utero extenso in collum vesicae urinae premente. Febris hectica (13), totius corporis tabes, malus habitus, calor faciei luridus, circuli caerulei oculis circumfusi sero se adiungunt, atque morbus partim virium consumptione, partim accedente hydrocephalo, hydrothorace et hydrope ascite occidit. Totum organismum serius, quam in aliis hydropis generibus, simul affici, ex eo facile intelligatur, quod uteri ad totius corporis oeconomiam minor est praestantia, quam intestinorum ventris, pectoris et capitis.

Morbus raro omnino mortem adfert, cum natura ipsa aqua expellenda opituletur. Aqua autem, ubi ex utero eruptura est, symptomata periculosa ac metum incutientia exoriuntur, quae tamen post eruptionem decedunt. Sunt ea autem spirandi difficultas, metus suffocationis, palpilatio cordis, quae omnibus aegrotarum motibus et contentionibus augentur. Eodem tempore plenitudinis et gravitatis in pelvi sensus fit molestissimus, atque exoriuntur dolores iis similes, quibus partus adjuvatur; interdum ii desunt, et pruritus tantum genitalium molestus sentitur. Natura ipsa interdum impedimenta, quae aquae eruptioni objiciuntur, non superare potest, praecipue si aqua propriis saccis inclusa est, vel uteri cervix magnopere clausa;

quae si incidunt, violentia aliqua externa, ad eruptionem aquae adjuvandam, adhiberi debet. Cujus generis exemplum Benivenius (14) in opere suo enarrat: feminam enim, quae jam mense octavo gravidam se esse putasset, simulque hydrope ascite laboraret, moliminibus supra expositis infestam esse; quum autem ex loco eminentiore in planum delapsa esset, atque abdomen ad lapidem offendisset, magnam ex naturalibus aquae copiam profluxisse, quo facto convaluerit.

Aqua erupta, aegrota sana haberi potest, si morbi causae non fuerant perpetuae; si autem perdurant, aquae congestio atque eruptio saepissime repetunt, et quidem non raro certis temporibus, atque ad mensium deficientium, quarum vice fungi videntur, sese componunt. Morbo autem proveciore temporis intervalla breviora usque fiunt, ita ut aqua semel hebdomade ac postremum altero quoque die effluat.

Copia aquae eruptae diversissima est, saepeque ingens, ut multa exempla, quae auctores fide digni exposuerunt, docent. Quorum nonnulla afferre liceat. Bonetus (15) in cada-veris sectione, quo tempore uterus esset patefactus, immensam narrat aquae multitudinem esse effusam, atque cavum uteri tantum fuisse, ut puerum sex annorum capere potuisset. Vesalius (16) liquoris centum octoginta libras in utero feminae, hoc morbo mortuae, invenit. Fernelius (17) instantibus menstruis tantam multitudinem aquae callidae atque citreae per uteri orificium effusam esse dicit, ut sex vel octo pelves impletae sint, abdomen omnino conse-

disse, atque menses mox fluxisse naturaliter. Mense sequente denuo congestum esse serum, quod tempore dicto effusum sit. Quibus similem narrationem exposuit J. P. Frankius (18) de muliere, cui sex hebdomadibus post ictam regionem iliacam intumuerit abdomen, atque ubi per sex hebdomades tumor dolores gravissimos ei adtulisset, tres aquae mensuras ex vagina prorupisse, post quem eventum conciderit abdomen. Nonnullis hebdomadibus post simile quiddam accidisse; quinque autem diebus post aquam iterum effusam menstrua rediisse, quae, ex quo laesum esset abdomen, fuissent suppressae. Ex hoc tempore intra novem menses octies copiam aquae aequalem profluxisse ac deinde editum esse partum infirmum, qui quatuor post diebus mortuus sit. Quinta quoque post haec hebdomade ex vagina similem ac prius, aquae fluxisse copiam, quae usque ad viginti septem mensuras increveret, atque hunc casum vehementes praecessisse semper dolores. Ista usque eo permansisse, donec infantem ediderit validum, ex quo tempore plane convaluerit.

Aquae profusae indoles haud cognita est; modo autem serosa est, modo pituitosa, modo glutinosa, quin nonnunquam aquae, qua lota caro est, similis, interdum sanguine et pure permixta, quod aliud quoque subesse vitium testatur. Sanguis vel pus purum cumulatam, huc, ut dictum supra est, referri nequit. Nonnunquam elisum esse aërem et flatum observarunt, qui ex congestis liquoribus orti erant, quem casum J. P. Frankius (19) hydrophysometram vocat. Aquae profusio, ubi saepius repe-

tit, corporis partes relaxat, effecitque non raro, ut prolabatur vagina.

Nonnunquam etiam tam ex aquae profusae copia, quam ex impetu, tanta exoritur debilitas, ut amius deficere quoniam etiam mors sequi possit. Rarius accidit, ut aquae loco ferretur saliva, antagonismo quasi excitata, quo facto rediit sanitas, ut Faberi (20) docet observatio; alias, ubi impervia erant orificia naturalia, integumentorum abdominis exortus est abscessus, per quem aqua congesta erupit.

Quae hydrometrae imago, quam exhibuimus, quaeque esse plerumque consuevit, pro diversis morbi generibus mutatur. Quod quidem maxime sentiendum de hydrometra ascitica, qua abdominis extensio aequalis est, atque cunctorum trium generum maxima, nisi, fluxu subinde excitato, impediatur, quominus magnopere congeratur aqua. In ea plerumque apparet fluctuatio, atque ubi diutius congesta aqua mansit, menstrua per id tempus suppressa sunt, nisi vagina quoque conferat ad menstrua elicienda. Quae supra dicta sunt, minime pertinent ad hydrometram cellulosa sive oedematosa, quum in ea abdomen multo minus, quam in ceteris generibus, extendatur; plerumque deest etiam aquae ex genitalibus fluxus, atque, etsi fluit, aqua tamen non fertur in rivi modum, sed guttatim. Tumor abdominis manu contingenti fracidus est et frigidus, atque ubi digito pressus est, scrobiculus remanet, qui non tam oculis, quam tactu manifestatur.

Pervenimus nunc ad signa hydrometrae hydaticae pathognomonica. Verum antequam de

his exponamus, altius repetere liceat nobis, ut, quid hydatidis sive saccus intelligatur a nobis, constituamus. Cystae, sive sacci, cava sunt humani corporis praeter naturam facta, quae parietibus crassioribus substantiam plus minus fluidam circumdant; a quibus hydatidis ita differt, ut velamentum, quo circumdatur aqua, sit multo tenuius. Vitia ejusmodi in utero quoque produci, abunde docuit experientia. Originem ut explicarent, physiologorum acumen ex omni aetate commentis exagitatum est. Nonnulli, Ruyschius, Hallerus, Albinus, Wrisbergius, oriri ea contendunt ex dilatatis vasis placentae, sanguine vel sero in extremas eorum fines infuso; alii, Bidloous, Fabricius, Pohlius et Astrucius, ex vasis placentae lymphaticis dilatatis; nonnulli, Malphigius, Boerhavius, Catius (Le Cat), Brehmius, adeo contendunt, originem ea trahere ex glandulis placentae ampliatis et depravatis. Nunc quidem nullum est dubium, quin hydatides hujusmodi nonnunquam etiam e vesiculari animali parasitico, quod typo vitae organorumque simplicissimo instructum est, oriatur, cujus de structura fuse agit Bremserius (22); verum animalia hujus generis in utero inveniri negat J. Fr. Meckelius (23), quae opinio partim rationi, partim experientiae adversatur, quod inter hydatides (24) utero expulsas nonnullae per motum liberum naturam animaleam testantur. Tum multae hydatides formantur aqua, in textum cellularem effusa, ibique cavum quoddam implente, quippe quod continua aquae accumulatione crescens, sensim sensimque telam cellulosa loco suo demoveat, compri-

mat, talique modo efficiat saccum; quales sacci non minus in exteriori textu cellulari circumvallante, quam in interiori parenchymatico provenire possunt, unde in organis omnibus, talem cellulosa continentibus, inesse solent (25).

Auctores nonnulli, ut Gregorinius (26), Mendius (27), Lindnerus (28), qui Mendium sequitur, molam vesicularem speciem putant hydrometrae hydaticae; cui opinioni equidem minime adsentior, quia mola e generatione manca producta, nullo modo hydrops uteri dici potest. Prae ceteris vero distincte nobis explicandum est, quae sit molae notio, et, quia hãc in re Caro plane adsentior, ejus ipsius verbis ut utar sit mihi venia (29): „Eine Mole ist wesentlich nichts als ein Chorion ohne Blutgefãsse, da hier der Dotter (Vitellum ovi, Vesica umbilicalis) fehlt, welcher entweder als einfache, allmählig sich vergrößernde Blase sich entwickelt, oder ohne bedeutende Vergrößerung der ursprünglichen Eiblaste durch Vielfältigung und Aufreibung der einzelnen Saugfasern sich vergrößert. War anfänglich in dem Ei ein Dotter oder Rudiment des Embrio entwickelt, und ging erst später durch Obliteration dieser Theile in eine molenartige Bildung über, so werden dadurch noch verschiedene mittlere Stufen zwischen wahrer Mole und regelmãssiger Frucht entstehen.“ — Secundum Carum igitur molas tum e simplici constantes hydatide habemus, easque decidua vera et reflexa circumdatas, tum molas vesiculares sive uvulares, ex continuo parvarum fibrarum resorbentium, quae clavæ formam habent,

chorioque adhaerent, incremento provenientes. Tertiam praeterea speciem molarum statuens, e sola tunica decidua formatarum, definitioni suae supra allatae ipse obloquitur, quippe quum hae chorio careant; unde morbus hic molae nomine appellari non potest. Verumtamen Carus jure monet, multos uteri non gravidi hydropes, qui dicuntur, morbum talem fruisse. Fingamus enim uterum lymphâ plastica exsudata intus obductum, in quem ovulum non intrarit; deciduae hujus cavum, parietibus ipsius condensatis eoque circum clausis, exsudato humore aquoso compleri potest, quae uteri conditio, remediis nullis adhibitis, sponte sua tolli poterit, si uterus magis extensus, decidua vero, eaque tenui, dirupta, aqua emissa, deciduaque sensim dissoluta fuerit. Quamquam molae vesiculares quoque ex hydatidibus constant, nullo modo tamen graviditatem molarem hydrometram dicere possumus, quippe quae vitia et origine maxime sint diversa, et symptomatibus. Illa enim signa offert omnia, graviditati molari convenientia, haec vero symptomatibus hydrometrae, supra jam expositis, notatur. Gregorinius (30) hydrometrae hydaticae nobis affert exempla, qua et mulieres aetate jam provecta et virgines intactae affectae fuerint. Hydrometra hydatica mulieres multo rarius, quam graviditate molari afficiuntur, atque interdum, ubi signa omnia pathognomonica desiderantur, illa dignosci non potest; qua de re non est, quod miremur, quum hydatides saepe in aliis cadaverum dissectorum organis inveniantur, quarum, vivente homine, nullum sit indicium. Pariter

hydatides vel cystae in utero latere possunt, quas adesse, tum demum animadvertimus, quum, causa aliqua oblata, id, quod continent, erumpit. Si vero plures hydatides in utero latent, vel si sacci aquam includentes majores sunt, quam solent, symptomata supra enarratis similia apparebunt. Ista si incidunt, abdomen maxime extendi potest. Ubi aqua saccis majoribus inclusa fuerit, unus alterne eorum nonnunquam derumpetur, atque aquam emittet, trahentem secum saccorum membranas, quae, ut quamvis minutus inde ventris ambitus nondum tamen ad normam revocatus, de hydrometra suspicionem movebunt. In ea plerumque fluxus menstrualis non interrumpitur; etiam conceptio et graviditas esse possunt: fluctuatio in ea percipitur nunquam.

Hydrometra, uteri non gravidi quae vocatur, in universum a nobis descripta, transeamus nunc ad vitia ea, quibuscum morbus hic confundi possit, atque ad symptomata peculiariora, quae in distinctione eorum medico sint duces.

Discrimen hydropis uteri non gravidi ab aliis ei similibus vitiis.

Prima et maxime necessaria est hydropis uteri a graviditate distinctio; sed quam difficilis ea sit, qui hydrometram supra descriptam cum graviditatis signis comparaverit, facile intelliget. Ipsa quoque ratio, vitiae haec esse inter se maxime similia opertere, docet, quum

vis vitalis uteri adaucta saepe causa sit hydrometrae, atque partim vi ista, partim accumulatione aquae, quae uterum simili modo, ac foetus extendit, et incitat, uteri vita cum reliquis systematibus organisque corporis comparata, mutetur, unde symptomata, graviditati analogo oriantur, necesse est. Nam in graviditate quoque organorum digerentium mala, mammarum tumor, venter inflatus, menstrua suppressa offenduntur. Quum porro morbo hoc plerumque mulieres afficiantur, quae jam saepius pepererint, eaeque gravidae quam hydropicae esse malint; sibi et medico lubenter persuadent, se gravidas esse, ac molestias, quas in graviditate perpessae sint, simulantes, medico inquirenti eas indicant. Medico autem, aegrotae tali assidenti, maxime constitutionis aetatisque ratio habenda est; tum etiam causarum huic morbo peculiarium, si forte praecesserint, vel noxarum aliarum. Habitus phlogmaticus, aetas provecta, fere jam decrepita, noxae systema uterinum infestantes, ut partus nimis crebri, leucorrhoeae et metrorrhagiae saepe repetitae, metritis, quam aegrotata paulum antea perpessa fuerit, quaeque non plane ad exitum venerit, menstruum, vel lochiarum, vel leucorrhoeae suppressiones, haec omnia ad rectum tramitem mali investigandi ducere queant medicum. Nunc diligentius utriusque mali phaenomena recenseamus, quippe quae accuratius distinguendis illis inservant. Symptoma maxime sub adpectum cadens, tumor abdominis est. In hydrometra abdomen neutiquam tam ordinate et gradatim accrescit, quam in graviditate; saepe enim jam primis

morbi mensibus illius ambitus est quantus in fine graviditatis; saepe vero etiam minor est, quam qui esse solet eodem graviditatis tempore; porro, in hydrometra abdomen certis temporibus tum decrescens, tum augescens observatur, in graviditate continuo augescens. Peculiare et fere certissimum symptoma hydrorrhoea est, post quam abdomen totum considit; in hydrometra oedematosa, uti jam memoravimus, aqua guttatim e vagina profluit. Abdomen totum frigidius apparet manu tangenti, et tumor uno alterove latere, pro aegrotae situ, concidit. Wrisbergius suadet, ut, ad temperaturam planitiemque abdominis recte explorandas, medicus faciem corpori aegrotae nudo imponat; quod Starkius, utpote indecorum, merito repudiat. Tum in graviditate plerumque dextri hypogastrii latus extensius est sinistro, in hydrometra vero extensio manet aequabilis; sed signum hoc pathognomonicum non ubique reperitur, uti exemplum a Regnero Gravio (Regnerus de Graaf) (31) nobis traditum docet. Mulierem enim quandam viginti quinque per annos hydrometra laborasse, cujus abdomen in dies magis ac magis doloribus cum maximis intumuerit; quum in sinistro umbilici latere induratio, quae latus hoc magis extenderet, nata esset; post mortem ejus scirrhum hydrometra conjunctum inventum esse.

Signum certum porro putant, quod in hydrometra abdomen aequabile sit sub tactu, neque partes foetus ullae, nec motus percipiuntur. Quod etsi verum esse ratio probat, tamen ubi usus venerit, difficile erit dicere, num ista in-

cidant, nec ne. Jam casus supra narratus probat, etiam in hydrometra extensionem non semper esse aequabilem, atque in ea quoque corpuscula dura saepe manu percipi, quae pro foetus partibus haberi possint. Motus etiam similes iis, quos excitat foetus, in hydrometra nonnunquam sunt observati (32). Motus hi ex aëre, qui in tubo intestinali colligitur atque extenditur, quod malum tympanitis appellatur, oriuntur (33), saepe vero ex aquae fluctuatione. At si quis manum in abdomine diutius retinet, in graviditate diuturniores, aequabiliores et fortiores, quam quos incitat vel aër vel aqua fluctuans, sentiet. Si autem consideratur, interdum nec matrem ipsam, nec medicum motus foetus percepisse, quamvis adesset foetus, isque vivus, ut feliciter editus sit postea infans, facile intelligimus, signum hoc pathognomonicum omnino non esse tam certum, quam habetur a multis. Non negligendum autem est, quo, aliis signis accedentibus, diagnosis constitui possit.

Maxime ad diagnosis constitutendam confert exploratio obstetricia interna. In hydrometra situs et longitudo et forma portionis vaginalis non aequae ordinate et gradatim mutantur, atque in graviditate. Portio vaginalis in hydrometra mollior, minus resistens sub tactu est, orificium uteri magis tenue, magis intensum, magisque contractum quam in graviditate. Digito altius in vaginam immisso, nullum vestigium capitis invenitur, in graviditate alias prominentis; atque uterus, aqua completus, pelvi minori non cum tanto pondere incumbit, quan-

to, dum foetus utero includitur, atamen profundius in eam descendit. Si digitum unius manus per muliebria ad uterum usque promoveris, manu altera identidem regione hypogastrica pulsa, fluctuationem senties facilius, quam si foetus aquae fluctuationem impedit. Quod neutiquam ita se habet, si uterus materie spissiore, vel hydatidibus, vel cystis est impletus. Fluctuatio quoque animadvertitur, tumore utraque manu sublato, atque in diversas partes moto.

Ex menstruis nullum certum signum esse potest, quippe quae tum omnino desint, tum ordine suo evocentur (34); interdum autem loco eorum aqua erumpit.

Auctores nonnulli in mammis signum diagnosticum certum se reperisse putabant. Jam Hippocrates contendebat, in hydrometra mammae languescere laxarique, in graviditate vero turgescere et lac secerni incipere. Huic sententiae annuerunt postea Riverus et Marquetus, ac recentioribus temporibus Elias Sieboldus (35). — Huic vero opinioni contradicunt observationes jam ante tempus aliquod factae a Remberto Dadonaeo (36), et Turnerio (37), et casus duo nuperrime a Fr. F. Wokazio (38) enarrati. Quae opiniones contrariae, experientia innixae, ut de veritate utriusque dubitetur, efficiunt; atque equidem credo, Meisnerum (39) haud falso meminisse, permultum referre, qualis esset causa hydropis uteri, utrum relaxatio uteri, e. g. ex praegressis haemorrhagiis debilitantibus, an quaedam irritatio ejus, veluti post praegressam metritidem. Morbo procedente, si organismus to-

tus in commune trahitur malum, mammae etiam, quarum initio morbi tumor fuit, languescunt atque laxantur. Fieri facile possit, ut symptoma hoc mulieri, hydrometra laboranti, quae gravidam se putet, vanum injiciat metum, ne sit foetus demortuus; atque medicus in consilium advocatus revera symptomata utriusque vitii propria, reperiet, veluti sensum frigoris et gravitatem totius abdominis, in eam partem facile relabentis, cui aegroti incumbit; porro, ut jam supra diximus, mammas non solum, sed etiam vaginam et genitalia externa relaxata et frigidiora sub tactu; foetus motus, ut supra jam memoratum, qui in hydrometra simulari possunt, omnino desiderantur; ac postremo, quod, morbo jam inveterato, accidere solet, cibi fastidium incidit, gustus pravus atque infirmitas totius corporis. Quo casu exploratio tam externa, quam interna diligenter instituta, signa omnia supra exposita, ad hydrometram a graviditate distinguendam necessaria, porro accurata aegrotae inquisitio, medicum in diagnosi constituenda adjuvabunt. Maxime autem inquirendum, pum nexae, ex quibus foetus mori posset, veluti morbi, tam corporis, quam animi commotiones, et haemorrhagiae praecesserint; tum, num aegroti frigus vel horrorem, subinde revertentem, et molestiam creantem, statim, quum foetum demortuum putaret, perciperit.

Magnopere praeterea, ut hydrometra a graviditate distinguatur, animadvertendum est, omnes molestias, quae ad vitium utrumque contundendum censerentur, praecipue initio graviditatis percipi, morbo vero proveciore

sensim remitti, ita ut tempore posteriore gravida sanitate plerumque fruatur integra; in hydrometra autem haec symptomata serius demum apparere et continuo ingravescere, donec aquae aliqua copia emissa, tollantur.

Graviditas autem molaris facilius etiam, quam vera, pro hydrometra haberi possit. Molaris graviditatis signa fere haec sunt: conceptione facta, primis 6 vel 8 hebdomadibus nihil insoliti observatur, serius, praesertim ubi molariae adsunt vesiculares, abdomen moleste, saepe cum doloribus, celeriter accrescit, ita ut jam tertio vel quarto mense ambitus sit, quantus feminae per decem menses gravidae. Secundum W. J. Schmittium (40) symptoma peculiare morbi hujus est, quod fundus uteri magis in dextram partem vergit, tum quoque, quod uterus formam paene cylindraceam adsciscit, tumorem formans aequabilem, elasticum, stricteque terminatum, ac magis mollem, quam durum, in quo nulla foetus pars percipitur. In regione lumbali dolores vagantes aegrota sentit, nonnunquam mammae turgescunt, et vel lac secernunt; serius anxietas praecordialis ac cardiopalmus vehemens accedunt. Portio vaginalis prius vel posterius imminuitur, attamen non tam spongiosa est sub tactu, quam in graviditate normali (41). Saepae haemorrhagiae se adjungunt, subinde revertentes, quae ex mola cum utero non plane conjuncta, pendent, atque quum propter has, tum etiam propter molam, magis magisque accrescentem, corpus debilitatur, languescit, ac pedes oedemate afficiuntur. Mense tertio vel quarto ingruunt dolores par-

tum juvantes et haemorrhagia saepe ingens, quibus factis, mola emovetur. Ad hydrometram a graviditate molari distinguendam inservit, quod in hydrometra abdominis tumor aequabilis est, impressus non dolet, frigidiorque est sub tactu. Symptoma maxime peculiare est hoc, quod in hydrometra aqua erumpit, quo facto, corporis tumor considit, numquam vero sanguis; in graviditate contra molari, nunquam aqua sed sanguis emittitur.

Hydrometra etiam cum hydrope ascite confundi potest; hujus vero symptomata sunt peculiariora, quibus ab illa semper certo distingui potest. In hydrometra primum tumor supra ossa pubis apparet, raro regionem hypogastricam excedens, sed nonnunquam usque ad regionem epigastricam sese attollens, atque uteri formam habens, dum in hydrope ascite fere semper tumor sensim sensimque accrescit, attamen mox totum occupans abdomen et semper, utcumque positum corpus est, locum infimum petens, ita ut, ubi erectum est, super ossa pubis maxime promineat, ubi vero horizontale, regiones lumbales, antea non extensae, pleniores appareant; porro fluctuatio plerumque multo distinctius hic observatur. Organismus totus in hydrope ascite prius afficitur, quam in hydrometra; pedes et genitalia externa maturius fiunt oedematosa, ac secretiones et excretiones abdominales turbantur; corpus totum marcescit, dum abdomen rapide accrescit, et denique ingruit febris hectica. In hydrope ascite nunquam mammae turgescunt. Menstruatio, sive est, sive non est, signo diagnostico hic esse non potest, quia

noxae omnes debilitantes, hydropem ascitem producentes, in causis menstruorum, jam ex initio suppressorum, esse possunt, vel infirmitas totius corporis, morbo magis inveterato producta, ad menses supprimendos conferre potest.

Ad signa hydrometrae certissima pertinet peculiaris quoque gravitatis in pelvi sensus, quod hydrometrae symptoma raro deest, sicuti etiam aqua e genitalibus erumpens cum doloribus, qui in partu esse consuerunt. Tum, exploratione obstetricia interna instituta, nequaquam invenimus mutationes portionis vaginalis, in hydrometra se offerentes supra descriptas, nec uterum altius in pelvim minorem imminentem, nec parietem vaginae anteriorem extensum, sed portio vaginalis habet statum normalem, ut naturalem quoque proprietatem.

Hydrometra cum hydrope ovarii haud facile poterit confundi, dummodo animadvertamus tumorem uno latere, praecipue sinistro, ortum, ubi crus sinistri lateris plerumque torpet et oedemate corripitur. Morbo provento, tumor se propagare quoque potest super totum abdomen, ac tum ille altera vaginae latere exploratione interna facta, sentiri potest, portio autem vaginalis, propterea oblique posita, vix attingetur. Initio hic quoque mammae interdum intumescunt, ac fere semper menses sistuntur.

Hydrometrae quodammodo similis est Phymetra sive Emphysema uteri (42), in qua uterum videmus tumescentem, qui tumor aeris inclusi copiae respondet. Sed hic uterum tympani modo inflatum invenimus, quem, quamvis

sit magnitudinis enormis, exploratione interna facile attollere possumus. Plerumque, ubi magni dolores eam comitantur, symptomata habet colicae flatulentae. Orificium plerumque et puita coacervata et contractione spasmodica clausum. Diagnosi haud erit dubia, simulac aërem ex utero pelli videbimus, quod serius ocuus plerumque fieri solet, ac crepitus uteri siye Aedaeopsophia nominatur.

Haud facile hydrometra haberi poterit pro steatome vel sarcomate uteri. Signa, quae haec adesse testantur, fallacia sunt ac varia, prout haec mala sedent vel in fundo, vel in latere uteri posteriore, aut anteriore. In iis supra arcum pubis tumorem oriri videmus, qui, quum plures anni (43), donec plane excolatur, praetereant, sensim sensimque accrescit, plus minus inaequalis, gibbosus, digito tangenti plus minus cedens, prout substantia solidior aut mollior est. Tumor vero hydrometrae aequalis est, plerumque fluctuans, multo citius accrescens, nec unquam tam diu perdurans, quin aqua erumpat, quo malum levetur. Exploratione intus facta, orificium et collum apparent normalia, sed quod attinet positionem, mutata; portio vaginalis plerumque maxime est sublata, atque interdum aperturae pelvis superiori vicina, ita ut aegre percipiatur. Ubi vero steatoma vel sarcoma a cervice incipiunt, vel cervix serius demum afficitur, labia orificii crassa sunt, gibbosa, plus minus tumefacta, at non dolentia, quo mala illa a scirrho vel cancro differunt. Hujusmodi permutationes portiois vaginalis observamus in hydrometra nun-

quam. Cum osteosteatomate uteri confundi plane non poterit.

Polypus uteri, dum formatur, semper difficilis est cognitu, sed, ubi jam latius manavit, et per uteri orificium processit, nullo modo poterit pro hydrometra haberi. Tum enim portio vaginalis brevior est, et in orificio uteri tumor sentiri potest solidus, globosus, qui dolore vacuus, facile sanguinem emittit. Ex quibus patet, polypum pro hydrometra haberi non posse.

Cum scirrhus quoque vel cancer uteri non confunditur. Ambo tamen mala conjuncta esse possunt, id quod exemplum, supra memoratum, quod Regnerus Gravius (Regnerus de Graaf) enarravit, docet. Quod si accidit, uterque suis cognoscitur symptomatibus.

Transeamus nunc ad alteram dissertationunculae partem, ac dicemus.

II. De symptomatibus hydropis uteri gravidi.

Quam saepe morbus hic urget mulieres, quamque id ipsum de organismo praeceptis sive theoriae, quam vocant, non repugnaret, jam in prooemio diximus. Minor quidem aquae copia utique cumulari potest, ita ut peculiariora morbi symptomata non exoriantur, sed, si major est, signa quoque apparebunt, quae vitium istud designant. Diagnosi vero semper est difficillima, quin saepe ne fieri quidem potest, praecipue, quum, constante adhuc hydrometra, haud raro graviditas accesserit, quo casu aqua cistis

propriis inclusa erat (44), vel quum statim post aquam expulsam, vel haud multo post, conceperit mulier, atque abdomen denuo intumescens hydrometram declarare visum sit, quamvis revera adesset graviditas, cujus rei exemplum maxime memorabile exposuit J. P. Frankius (45).

Aqua coacervari potest:

1. inter superficiem uteri internam, vel ita ut simpliciter ovulum circumdet (h. ascitica), vel ut, ob membranas ab utero ad ovulum porrectas, cistis quasi sit inclusa (h. saccata s. cystica), vel denique hydatides adesse possunt, quae modo superficiei uteri internae, vel superficiei ovuli externae, vel placentae insideant (h. hydatica);
2. aqua contineri potest parenchymate uteri, atque constituere hydrometram oedematousam.

Nunc conabor morbum in universum describere. Certa conceptionis signa ubi praecesserunt, jam tertio vel quarto graviditatis mense ambitus abdominis saepe tantus, quantus sub finem graviditatis esse consuevit, atque jam exoriantur symptomata varia, quae creari putanda sunt et partibus tensis ac compressis, et antagonismo vasorum exhalantium et organorum, quae in normali statu praesunt secretioni serosae. Quae molestiae sunt: sensus gravitatis injucundae, et doloris obtusi in abdomine, respiratio impedita, urina, collo vesicae urinariae compresso, retenta, alvus suppressa, dysuria, color faciei pallidus. Porro diversis temporibus abdominis ambitum crescere et decrescere animadvertimus, atque in casu a J. P. Frankio (46)

exposito, pedum oedematis, atque uteri tumoris vicissitudinem quandam: nam ubi evanuit oedema, abdomen subito intumescere coepit. Mox se consociat cum oedemate pedum interdum oedema tibiae quoque et femoris ac genitalium; eademque ratione, qua inferior pars corporis augetur, superior macrescit. Aegrotiae facies pallida est, morbumque testans, circuli lividi oculos, splendore privatos, circumdant. Infantis motiones gravida ipsa haud facile sentit, et medicus explorans eas plane non percipit, nisi leviter et altius.

Certissimum signum est aqua e genitalibus prorumpens. Quod accidit interdum tertio vel quarto mense, ac tum in decursu graviditatis repetit, symptomatibus apparentibus, quasi insisteret abortus. Aqua autem modo repente vehementi impetu erumpit, modo lente, sed continuo plures per horas, quod neque exercitatio ulla prohibet, nec quies per plures hebdomades in cubili horizontali continuata. Aqua ita se profundente, facile metui potest, ne imminet abortus; at illud, ubi incidit, orificium inter dolores non eo ordine, ut imminente abortu, dilatatur. Sive igitur saepius tempore graviditatis eruperit aqua, sive etiam primum brevi ante partum, semper tamen, ubi ventum ad partum erit, vesica apparebit, qua rupta, liquor amnii profluet. Quam profusionem ex omnibus temporibus diversis rationibus explicare conati sunt medici (47), quorum diversissimae fuerunt opiniones. Iam J. P. Frankius causam ejus esse putabat hydropem uteri, atque id pluribus exemplis propositis demonstrare conatus est.

Nuperrime Naegelius ejus sententiam eo probare studuit, quod in ejusmodi hydrometra inter partum vesicam comparere vidisset, atque velamentis ovuli diligentissime exploratis, nullum interstitii cujusquam invenisset vestigium. Quae Naegelii observationes Geilium, discipulum ejus, permoverunt, ut hac de re dissertationem conscriberet inauguralem. Qui aquae profusione certissime indicari hydropem gravidam uteri putat; attamen abdomen in eo raro magnopere extendi asserit, cui rei plures a scriptoribus fide dignis enarrati casus repugnant.

Hydrometra, cujus signa modo memorata propria sunt, saepe neque matris et foetus valetudinem, neque graviditatis decursum infestat, imprimis si uterus, prorumpente subinde aqua, onere liberatur. Interdum tamen propter nimiam extensionem uterus doloribus excruciat, id, quod abortum efficere potest; vel etiamsi prospere edatur partus, tamen nutritio ejus hoc morbo impeditur. Nonnunquam, ut in aliis hydropibus, matris afficitur organismus. Totum corpus consumitur tabe et languescit; accedunt cibi fastidium et concoctio turbata; atque imprimis mammae laxae evadunt, ac saepe in puerperio lac non reddunt. Hydrops hic etiam in ascitem, hydrothoracem et praecipue in anasarcam mutari potest.

Quod attinet discrimina diversorum hydrometrae, qua afficiuntur gravidae, generum, eorum, quae de hydrometra uteri non gravidam exposita sunt, meminisse lectores velim.

Quomodo differat hydrometra gravidarum ab aliis vitiis, ei similibus.

Abdomen enormiter extensum facile inducere nos possit, ut contineri utero gemellos credamus; nec facilis erit diagnosis, quum signis uteri gemellis gravidis certis desituti simus. Animadvertendum fuerit, foetus partes in hydrometra gravidarum non percipi, nisi difficillime ac maxime profundas; sin autem gemellis gravidus est uterus, facillime atque in superficie. Nulla incidet dubitatio, si, quod modo diximus, aqua profluerit, quo uterus onere liberatur.

Facillime hydrometra gravidarum habeatur pro liquore amnii supra modum congesto sive pro ovuli hydrope. In eo aequae animadvertimus abdomen magis extensum, atque dolens, id quod pelvis quoque patitur. Qui morbus secundum Joergium non potest cognosci, nisi ex ratione, qua percipiatur foetus. Abundante liquore amnii, abdomen tactu mollis est ac manui permulcentis cedens; foetus tamen magis in uteri superficie quam profunditate apparet, simulque foetus, pressa modo una, modo altera parte, ex una in alteram partem facile movetur; id accidit etiam, si, quum intus exploratur, portio vaginalis attollitur, atque fundus uteri extrinsecus manu altera premitur. In hydrometra contra id non evenit, atque abdomen, quamvis sit molle, foetus tamen non liber est, sed profundus, ac media aqua quasi natans. Quod discrimen altero explorationis genere ad-

hibito, facile manifestatur. Morbus si exploratione supra exposita cognosci nequit, aquae profusio, simul ac incidit, hydropem uteri declarabit.

Facile etiam cum graviditate molarum hydrope uteri confundi possit. Discrimina autem sunt, quod in illa neque foetus partes, neque motiones ullae percipiuntur, praeterea abdominis inflati extensio inaequalis est, atque fundus magis in dextram versus, magisque prominens, ac, si premitur, dolens. Uteri forma fere est cylindracea, aegrotam omnino pejus sese habet, ac plerumque sanguis ex naturalibus redditur. Tum vulgo dolores graviores fiunt. In hydrope uterus aequaliter extensus est, neque dolens, ubi tangitur, aegrotam optime valet, aut molestiae leviores sunt. Sanguis nunquam fertur, sed aqua, eaque multa plerumque.

Exploratis vagina et abdomine, morbus haud facile cum hydrope ascite confundi poterit: illam enim satis declarant foetus partes ac motiones perceptae, rotundum uteri orificium, portio vaginalis curta et sublata, atque paries vaginae anterior extensus, cui foetus caput plerumque incumbit.

Difficilins etiam hydrometra gravidarum pro steatomate, sarcomate, polypo, vel adeo scirrho uteri, quam hydrometra non gravidarum haberi poterit; ad diagnosis constitutendam faciunt, quae de hydrometra uteri non gravidis diximus.

LOCI CITATI.

1) J. P. Frank *Epit. de curand. hom. morb. Lib. IV. Pars I. p. 296.* — 2) Thomas Erastus apud Schenk *observat. Lib. IV. p. 618.* — 3) Ueber die Behandlung der verschiedenen Arten der Wassersucht in den Abhandlungen für practische Aerzte; Bd. XVI. p. 568. — 4) *Diction. de scie. med. vide Hydrometra.* — 5) Vesalius *de corp. hum. fabr. Lib. V. c. 9. p. 627.* — 6) Chr. Cunrad et J. Fr. Starke *de hydrope uteri. Regiom. 1701 in Halleri disput. pathol. T. IV. No. 154.* — 7) *Ephem. nat. cur. dec. I. ann. 1, obs. 128, p. 286.* — 8) Sauvagesius *nosologia methodica Vol. II. p. 506.* — 9) *Ephem. nat. cur. dec. II., ann. 5, obs. 67, p. 142.* — 10) *vide No. 4.* — 11) J. P. Frank *Epit. de curand. hom. morb. Lib. IV., Pars I., p. 305.* — 12) Mauriceau *traité de meladies des femmes grosses. Lib. I., chap. XXVI., p. 177.* — 13) Marcell. Donatus *de medica histor. mirab. Lib. IV., c. 25, f. 248; et Fried. Hoffmann medic. ration. systema. tom. III. sect. I., c. 7, §. 44, p. 154.* — 14) Benivenius *de abdit. morb. caus. c. 109, p. 201—202.* — 15) *Sepulcret. Lib. III. sect. 37. obs. 2, pag. 92.* — 16) apud Schenk *observat. Lib. IV., p. 619.* — 17) Joan. Fernelius *de part. morb. et sympt. Lib. IV., c. 15. p. 202.* — 18) *vide No. 11.* — 19) *vide No. 11.* — 20) Helds Auszüge aus den besten medicinischen und chirurgischen Schriften, Bd. I., S. 288. — 21) Rheinische Jahrbücher, Bd. III., Stück 1, p. 79. — 22) Ueber lebende Würmer im lebenden Menschen von

Bremser. S. 234. — 23) J. Fr. Meckels *Handbuch der pathologischen Anatomie, II. Bd., II. Abtheilung.* — 24) Gregorini *de hydr. ut. et de hydat. in ut. visis. Halae 1795.* — 25) Eisenlohr *de hydrope cystico. Argentorati 1784.* — 26) *vide No. 24 p. 41.* — 27) Mende, die Krankheiten der Weiber nosologisch und therapeutisch bearbeitet *Thl. II., pag. 201.* — 28) Lindner *de hydrometra p. 21, Salisbaci 1822.* — 29) Carus *zur Lehre von Schwangerschaft und Geburt, physiologische, pathologische und therapeutische Abhandlungen, Abthl. II., S. 11.* — 30) *vide No. 24 p. 59.* — 31) *vide No. 9 dec. II., ann. 1, obs. 128, p. 286.* — 32) Oethens apud Schenk *Lib. IV., p. 618* und Swieten in Boerhav. *aphor. §. 1224, p. 154.* — 33) Baudeloque *Anleitung zur Entbindungskunst, Thl. II., S. 517.* — 34) And. Vesal. apud Schenk *observ. Lib. IV., p. 619 et Halleri disput. pract. Vol. IV., pag. 503.* — 35) Elias von Siebold *Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Fr. Krankheiten. Bd. I. S. 537.* — 36) *vide No. 14 cap. 45, p. 85.* — 37) *Philosoph. transact. Vol. XVIII, n. 207, p. 20.* — 38) Fr. F. Wokaz *dissert. diagnos. gravid. et hydropis uteri ambiguae exempla exhibens. Lips. 1813. 4.* — 39) Fr. L. Meisner. *Was hat das 19te Jahrhundert für die Erkenntniß und Heilung der Frauenkrankheiten gethan? Zeitraum 1801—25 S. 124.* — 40) W. J. Schmitt: *Ueber Blasenmollenschwangerschaften in den rheinischen Jahrbüchern für Medizin und Chirurgie, Bd. III., St. I., S. 13.* — 41) Berends *Handbuch der practischen Arzneiwissenschaft. Bd. 5, Abth. 3.*

- 42) Chambon de Montaux *Maladis des femmes*. Vol. I., 3. part., C. 2, p. 351, und Hennings *Beobachtung einer Windsucht der Gebärmutter* in *Huflands Journ.* Bd. 44, S. 40.
- 43) Carus *Gynäkologie*, I. Thl. S. 314. —
- 44) *Nov. act. nat. curiosior.* Vol. V., obs. 38, p. 111; et Brown *Chestons pathologische Untersuchungen und Leichensectionen*; S. 76—79 (Aus dem Englischen. Gotha 1780). — 45) vide No. 11. p. 301. — 46) vide No. 11. p. 306.
- 47) Mayer über die *Hydrorrhoe der schwangern Gebärmutter*: in *Horns Archiv für medizinische Erfahrung*. Jahrgang 1823. März, April.

THESES.

1. Sanguis vita non caret.
 2. Symptoma pars est morbi.
 3. Hämorrhagia non est morbus per se, sed symptoma morbi.
 4. Non est lactis metastasis.
 5. Phthisis pituitosa ad phthises veras referenda est.
 6. Ligatura in ani festulis haud omnino rejicienda.
 7. Sectio synchondroseos ossium pubis ad partum juvandum nunquam suadenda est.
-